

AD L E C T O R E M .

B E N E V O L O
L E C T O R I S A -
LVTEM DICO ET SCO -
PVM EDITIONIS.

DECEM ab hinc annis datus est in publicum libellus, à S. Leandro Hispanensi Episcopo, de Virginitate, & ratione viuendi Virginum ad Florentinam sororem conscriptus. Hunc Prudentius Sandoualius Philippo III. Regi Catholico, ab historia, & memoria antiquitatis, ex peruerteri membranaceo codice litteris Gothicis ab ultima vetustate exaratum, translatumque in Hispanam, seu Castellanam linguam, utroq; idiomate in lucem extulit; & anno Salutis MDCIV. immortalis memoriae Hispaniarum Reginæ Margaritæ Austriacæ Caroli Stiriae Archiducis filiæ inscripsit. Huic, quia tum à sacris, & conscientiæ arcane erat, eximia virtute prudentiaque Sacerdos Societatis Iesu, Richardus Hellerus homo Germanus, pro amicitia, & fama nominis, qua Reuerendissimus Baltasar felicis recordationis Abbas Fulensis in Germania florebat, ad eum huius libelli exemplar, misit, sed

sed serius quidem, quam optarat; quia morte iam tū
occupatus, humana ille reliquerat. Is, quia in orbe no-
stro quod sciam, lucem adspexisse, hominumq; notitiā
subiisse non videtur, oportunum putauī, cum ad Ec-
clesiasticam historiam nonnullum studium operam-
que conferre parabam, nec illustre hoc pietatis mo-
numentum, in præteritis habere nō solum, quia per-
fectioris vitæ cupidis rerum humanarum despicien-
tiam commendat, & benè beatèq; viuendi præclara
Virginibus præcepta tradit, sed quia facēm quoque
præfert à Sandoualio accensam, quia, Sanctimonia
præstantium, & omni copia doctrinarū in Hispania,
trium fratrum Leandri, Fulgentij, Isidori, Germanæ-
que sororis eorum Florentinæ, originem, stirpem, vi-
taeque rationem, vir ille Polyhistor fide singulari, ac
diligentia, litteris, memoriæque mandauit.

Verūm, quia, cogitationes ille suas Castellano i-
diomate nostris Germanis ignoto patefecit, quæren-
dus mihi interpres fuit, per quem ad plures loquendi
potestas daretur.

Adhuc Prudentij Sandoualij historia, quia non
paucis locis illustrari potuit, nos ex probatoriis, &
domesticis, quæ quidem præsenti instituto suffice-
rent, nonnulla delibauimus, & Lectoris arbitrio per
ordinem litterarum ipsius narrationibus adserenda,
seu dijudicanda, reliquimus; Nec diffitemur ex Hi-
spaniæ illustratae, aliorumque priscorum monumen-
tis, hæc potuisse fieri splendidiora; sed, quod dicitur,
extra chorū saltare, & aliud agere, quam autori pro-
posi-

positum in hoc argumento, nec vtile, nec decorum existimauimus, veriti ut ne Virginitatis quidem illam corollam, nisi æquis æstimatoribus, & verecundis approbaremus: nam, qui delicate ac molliter viuunt, & à continentiae studijs alienissimi sunt, suo de rebus his, nihil moror, vtantur iudicio.

Denique ex Originum Benedictinarum recens edito Commentario ab erudito viro Auberto Miræo gratum fuit cognoscere Prudentium Sandouallium, qui se scribebat Priorem perpetuum Monasterij S. Ioannis regalis de Naranco, & Chronographum regium, tandem Episcopum creatum Pompebensem; & opus præclarum elucubrassæ de fundationibus Monasteriorum ordinis S. Benedicti in Hispania; exordio facto ab anno Christi D X L. vsque ad illud tempus quo Mauri Africani Hispaniam inuaserunt, hoc est ad annum DCCXIV. Librum autem illum idiomate Hispano euulgatum Madriti anno M D C I. Hæc Miræus in descriptione Monasterij S. Petri de Cardena quod circa Christi annum D X L. Sanctia Seueriani Ducis mater secundo lapide à Burgenſi vrbe in Castella veteri familie S. Benedicti erexisse traditur.